



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sylva Cogitationum Sacrarum Pro Cathedra Seu Conceptus Prædicabiles

Ex Præstantissimis Authoribus collecti ; Et In tres Classes divisi

Complectens Dominicas Per Annum

Höger, Franz

Ingolstadij, 1726

VD18 90197089

Dominica I. post Epiphan.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53055](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53055)

Joseph in virili etate; imitentur Josephum, vivendo pariter in perfecta Justitia. IV. Simeon senex; imitentur Simeonem perseverando usque in finem in laude Dei. Durand. in Charact. Sanctor. part. 2. hic.



DOMINICA I. post EPIPHAN.

THESIS I. Dolentes querebamus *Quomodo*
te. Luc. 2. v. 48. Notandum, tres *quar-*
esse causas, quæ quærentes frustrare so- *antur?*
lent. I. cum scilicet aut non in tempo-
re quærent. II. Aut non, ubi oportet,
quærent. III. Aut non, sicut oportet.
S. Bern. Serm. 75. in Cant. P. Wesp. in
Moral. Evangelico.

THESIS II. JESUS annorum *Christus in*
duodecim. Luc. 2. v. 42. Christus si- *nobis cre-*
cut in illo ipso Homine, quem gessit, *scat.*
ita in nostris mentibus quosdam gra-
dus corporeæ ætatis exequitur: I. Na-
scitur. II. Crescit. III. Roboratur.
IV. Senescit: sed orandus, ne in nobis
diu, aut jugiter Parvulus, aut infirmus,
&

& pauper sit. *S. Paulin. ep. 3. ad Severum.*

THE SIS III. *Proficiebat Sapien-
tia, & etate. Luc. 2. v. 52. Quomodo
crescere possumus I. ad ipsum. II.
cum ipso. III. in ipso? scilicet extir-
patione vitiorum, acquisitione virtu-
tum, Unione. Segneri Manna 26. Aug.*

*Status A-
nima.*

THE SIS IV. *Remansit Puer in
Jerusalem. Luc. 2. v. 43. Triplex
status animæ, Possidentis, Perdentis, Inve-
nientis DEUM. I. Extrema conso-
lacio animæ justæ, quæ possidet Deum
suum. II. Extrema desolatio animæ,
quæ per peccatum perdidit Deum su-
um. III. Extrema sollicitudo animæ
pœnitentis, quæ, ut iterum inveniat,
anxia est. Dion Capucin.*

*Christus
perditus.*

THE SIS V. *Non invenientes,
Luc. 2. v. 45. I. Anima elongat se à
Deo Infidelitate. II. Deserit obli-
vione, tepiditate, negligentia. III.
Incipit perdere peccato veniali. IV.
Omnino perdit peccato mortali. Cras-
set. in Confid.*

THE SIS VI. *Quærebamus te.
Luc. 2. v. 48. Tripliciter Deus quæ-
rendus*

rendus est. I. *Veraciter*, id est vera fide. II. *Ferventer*, id est ferventi animo. III. *Perseveranter*, id est firma fide. *Hugo Cardinal.*

THESIS VII. *Quid est, quod me quærebatis?* Luc. 2. v. 49. *Quærendus.* Tripartitum est genus quærentium Deum. I. Alii quærun-
t, & non inveniunt. II. Alii quærun-
t, & inveniunt, sed non retinent, quia non quærun-
t, ut habeant, sed vendunt. III. Alii quærun-
t, & inveniunt, & retinent. Primi quæ-
rentes nullo modo inveniunt; Secundi
vivum inveniunt, & occidunt; Tertii
mortuum quærun-
t, & vivum inveni-
unt. *Hugo à S. Victore.*

THESIS VIII. *Dolentes quærebamus te.* Luc. 2. v. 48. Christum quæ-
renti quatuor condiciones observandæ
sunt. I. Temporis opportunitas. II.
Loci congruitas. III. Quærentis hu-
militas. IV. Quæriti Utilitas. *S. Bonavent. Serm. 5. Dom. infra Octav. Epiph.*

THESIS IX. *Quid est, quod me Christus quærebatis?* Luc. 2. v. 49. *Christus docens.* Ex hodie-
na Christi concione habent, quod di-
scant; I. Parentes. II. Liberi. III.
C Con-

Conjugati. IV. Cognati. V. Clerici. VI. Omnes. *Math. Faber hic Cong.*
8.

THESIS X. *Invenerunt illum.*
Luc. 2. v. 46. Præstat non inveni-
endo invenire Deum, quàm inveni-
endo non invenire. I. Primi sunt, qui in-
veniunt Deum in desolatione, in tri-
bulatione, utpote quem habent, & non
vident. II. Secundi sunt, qui per-
dunt Deum in consolatione, utpote
nihil vel parùm agendo eum dimittunt.
Juxta illud S. Augustini: *Si quis non in-
telligat te, gaudeat, & sic amet non inveni-
endo invenire te potius, quàm inveni-
endo non invenire.* L. I. Confess. c. 6.

*Christus
ubi quaerendus?*

THESIS XI. *Requirebant eum
inter cognatos, & notos.* Luc. 2. v. 44.
I. Noli quærere Deum in *Familia*: Di-
scordia eum ibi arcer. II. Noli quæ-
rere Deum in *Cœtu* hominum: Male-
dicentia eum ibi excludit: III. Noli
quærere Deum in *Negotio*. Amor pro-
prius, seu studium Commodi privati
eum ibi expulit.

Dies Festus.

THESIS XII. *Factum est post tri-
duum, invenerunt illum.* I. Nihil faci-
lius, quam Deum *Perdere*. II. Nihil diffi-

difficilius quàm perditum *Invenire* I. Jacturæ seu perditionis Gratiæ sex causæ sunt : 1. in die Festo perditus est Christus, quia in eo plura peccata fiunt. 2. Quia plurimi, ut templo exeunt, fervorem deserunt. 3. Quia mundanis rebus infixi obliviscuntur Dei. 4. Quia se miscent cum aliis pravis sociis. 5. Quia non agnoscunt, nec intelligunt Gratiam, quid sit. 6. Quia non evitant pericula. II. Difficilis inventionis rationes sunt. I. Quia homo plurimis obstaculis resistere debet, & ea superare, ut inveniat. 2. Non cessare, neque defatigari in quærendo, & implorando gratiam. 3. Adhibere multa pia, & bona opera Confessionis, jejunii &c. *Non invenitur in terra suaviter viventium. Job. 28. v. 13. Bretteville.*

THESIS XIII. *Remansit Puer* JESUS. Luc. 2. v. 43. Qui perdit Christum per peccatum, non potest ipsum invenire nisi post triduum. I. *Triduum.* Contritionis. II. Confessionis. III. Correctionis. *S. Vincent. Ferrer. Serm. 4. Dom. inf. Octav. Epiphan.*

THESIS XIV. *Quærebamus te. Christus* Luc. 2. v. 28. Corde toto quærendus *quærendus.*
C 2 est

est Deus tripliciter : I. sine Intermif-
fione. II. Sine Remiffione. III. Sine
Divifione. *Le Blanc. in Pſal. 118. v. 2.*

*Chriſtus,
B. V.*

THESIS XV. *Erat ſubditus illis.*
Luc. 2. v. 51. Utrunque miraculum,
I. Quòd Deus Fæminæ obtemperet :
Humilitas ſine exemplo. II. Et quod
Deo Fæmina principetur : *Sublimitas
ſine Socio.* *S. Bern. Serm. 2. ſuper miſſus
eſt.*

Parentes.

THESIS XVI. *Erat ſubditus illis.*
Luc. 2. v. 51. Parentes tria debent
filiis : I. *Vitæ ſubſidium* 2. *Educatio-
nis Studium.* 3. *Salutis auxilium* I.
Primum, Patris cœleſtis exemplò, Ani-
malium irrationalium ſtudiò, Naturæ
ſuffragiò. II. Secundum ſuadet Dile-
ctio paterna, Societas humana, Provi-
dentia Divina. III. Tertium, per
disciplinæ Chriſtianæ Inſtructionem,
Exempli ædificationem, juſtam Corre-
ptionem. *Vivien in Tertull. Prædic. ver-
bo Lex Juſtitie. Vid. indic.*

Feflum.

THESIS XVII. *Secundum conſuetu-
dinem diei Feſti.* Luc. 2. v. 42. Profanatio
dierum Feſtorum ſeptem modis contin-
git : I. Alii oriantur. II. Alii laborant.
III. Alii choreas agunt. IV. Alii taber-
nao

nas frequentant. V. Alii ludis vacant.
VI. Alii nundinantur. VII. Alii lu-
xum vestium adornant. *Faber. Dom.*
16. post Pentec.

THESIS XVIII. *Dolentes quæ- Parentes.*
rebamus te. Luc. 2. v. 48. I. Multi pa-
rentes aliquando dolentes quærent a-
missos liberos suos, quos educârunt jux-
ta Mundi placita. II. In contemptu
Virtutum. III. In aversione Crucis. IV.
In oblivione Dei. V. in neglectu Ec-
clesiæ. VI. In amore Libertatis. *Di-*
ction. Apost.

THESIS XIX. *Erat subditus illis.*
Luc. 2. v. 51. Boni Parentes educant
Filios suos I. in amore Veritatis. II. in
aversione Mundi. III. in exercitio
Mortificationis. *Id.*

THESIS XX. *Erat subditus illis. Obligatio*
Luc. 2. v. 51. I. Filii tenentur abscon- *filiorum.*
dere defectus, & peccata Parentum.
II. Filii tenentur ferre illorum impa-
tientiam, & genium contrarium. III.
Filii tenentur ipsos solari in senectute,
& in morbo succurrere. *Diction. Apo-*
stolic.

Liberi. THESIS XXI. *Erat subditus illis.* Luc. 2. v. 51. I. Liberi vel solatium, vel crux Parentum. II. Hæredes eorum vel virtutum, vel viriorum sunt. *Ibid.*

Festum. THESIS XXII. *Secundum consuetudinem Diei Festi.* Luc. 2. v. 42. I. Festi dies sunt *Dies quietis*, hinc nos à strepitu mundi elongare decet. II. Sunt *Dies instructionis*, hinc occasione intenti esse debemus suscipiendæ doctrinæ, & Veritatis Christianæ. III. Sunt *Dies Sanctitatis*, hinc conjunctionem cum Deo quærere oportet relictis creaturis. *Ibid.*

Obedientia. THESIS XXIII. *Erat subditus illis.* Luc. 2. v. 51. I. Obedientia *prima* virtus est, quam Deus ab homine petiit, & quam homo Deo recusavit. II. Obedientia *secunda* virtus est, quam Christus in Lege sua à nobis petit, & quam plurimi transgrediuntur. III. Obedientia *postrema* virtus est, quæ debet finire Sacrificium nostrum in morte, quam nemo potest detrectare.

Amisio Dei. THESIS XXIV. *Quærebamus te.* Luc. 2. v. 48. I. Perdimus Deum, quan-

quando dimittimus *Obsequium Dei* propter *Obsequium* hominum. II. *Amit-*
timus Deum, quando *coeptum bonum*
Opus relinquimus imperfectum. III.
Amittimus Deum, quando *Causam Dei*
 in occasione data non protegitur.
Diction. Apost.

THESIS XXV. *Remansit Puer.*
 Luc. 2. v. 43. I. Quando Deum per-
 dimus propter *Liberalitatem* suam erga
 nos, *ingratitude* enormis est. II.
 Quando dimittimus Deum propter *Ca-*
stigationem promeritam, *rebellio ob-*
stinata est. *Id.*

THESIS XXVI. I. *Querebamus te. Periculū.*
 Luc. 2. v. 48. In hoc mundo nec *San-*
ctitas Personæ securos nos facit, ne per-
 damus Deum: *Joseph* cum esset *justus*:
 en *Sanctitas Personæ*. II. *Nec Sancti-*
tas Temporis: Secundum *consuetudinem*
Festi, en *Sanctitas Temporis*. III.
Nec Sanctitas Loci: *Remansit Puer JE-*
SUS in *Jerusalem*, *Civitas sancta*, en
Sanctitas Loci. Durand. in Character.
Sanctor, part. 2. hic.

